

Friedrich Daniel Behn

**De Immortalibus Divi Josephi II. Eiusque Successoris Leopoldi II. In Omne
Humanum Genus Meritis, Quam Avspicatissima Electio Et Coronatio Leopoldi II.
Regis Hereditarii Bohemiae Atque Hungariae, Romanorum Imperatoris Semper
Augusti, Lvbecae : Ex Decreto Amplissimi Senatus Oratio Votiva Esset
Celebranda, A. MDCCXC. A. D. XVII. Cal. Decemb.**

Lvbecae: Typis Georgii Christiani Greenii, MDCCXCI

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86323867X>

Druck Freier  Zugang




Re-645 (35)

FORSCHUNGEN
ZUR
WORMSER CONCORDATS
HERRSCHEN VON ...

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

UNIVERSITÄT
ROSTOCK
HENRIK WILHELM
OTTO ...



R. 625 (35)

DE IMMORTALIBVS
DIVI IOSEPHI II.

EIVSQVE SVCCessorIS
LEOPOLDI II.

IN OMNE HVMANVM GENVS MERITIS,

QVVM
AVSPICATISSIMA ELECTIO
ET CORONATIO

LEOPOLDI II.

REGIS HEREDITARII BOHEMIAE ATQVE
HVNGARIAE,
ROMANORVM IMPERATORIS
SEMPER AVGVSTI,

LVBECAE

EX DECRETO
AMPLISSIMI SENATVS


ORATIONE VOTIVA ESSET
CELEBRANDA,

A. CIOCCXC. A. D. XVII. CAL. DECEMB.

DIXIT

M. FRIDERICVS DANIEL BEHN,
GYMNASII LVBECENSIS CONRECTOR.

LVBECAE,
TYPIS GEORGII CHRISTIANI GREENII,
MDCCXCI.





MAGNIFICI ET ILLVSTRES REIPVBLICAE LV-
BECENSIS CONSVLES, PATRES PATRIAE
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI.
ILLVSTRIS AC SVMME VENERABILIS REVE-
RENDO CANONICORVM ORDINI PRAE-
POSITE.

MAXIME REVERENDE ATQVE EXCELLEN-
TISSIME SACRORVM ANTISTES.

NOBILISSIMI, PRVDENTISSIMI, CONSVLTIS-
SIMI, EXPERIENTISSIMI, REIPVBLICAE
SYNDICI, IVRIVMQVE ET MEDICAE AR-
TIS DOCTORES.

ADMODVM REVERENDI ET PRAECLARIS-
SIMI SACRI ORDINIS SENIOR, PASTORES,
ATQVE SYMMYSTAE.

NOBILISSIMI, GENEROSE, PRVDENTISSIMI
ATQVE AMPLISSIMI REIPVBLICAE SENA-
TORES, PROTONOTARIE, ET SECRE-
TARIL.

PRAECELLENTISSIMI DOCTISSIMIQVE HV-
IVS GYMNASII RECTOR, SVBRECTOR,
CANTOR, CETERIQVE COLLEGAE.

A 2

VOS-

VOSQVE, QVI AD HVIVS DIEI CELEBRITATEM AVGENDAM CONFLVXISTIS AV-
DITORES, PRO SVO QVISQVE ORDINE,
NOBILITATE, DIGNITATE AC MERITO
DECENTER COMPELLĀNDI.

PATRONI SVMMI, MAECENATES OPTIMI,
FAVTORES AESTVMATISSIMI, AMICI
CONIVNCTISSIMI.

TV DENIQVE DILECTISSIMA IN SPEM PA-
TRIAE EFFLORESCENS GYMNASII IVVEN-
TVS.

Contemplanti mihi cum eos, qui, ad
summum dignitatis atque potentiae fa-
stigium euecti, radios suos longe late-
que dispergunt, tum illos, qui humi serpunt,
atque ob humilitatem in hominum versantur
ignoratione, profecto videtur mortalium fors a
supremo vniuersae naturae gubernatore esse
constituta vt diuersissima, ita etiam simillima.
Omnes fortunae mutationibus esse subiectos,
nullos a temporum vicissitudine liberos, cunctos
vna lege mortis obnoxios necessitati, quis
est, quem non fati superque doceat expe-
rientia, optima humanarum rerum magi-
stra?

fra? Docuit in huius, quem maximam partem compleuimus, anni primordio id eadem magistra, eheu tristissima, quum IOSEPHVM II. Imperatoribus Romanis nisi omnibus praeferendum, profecto nulli postponendum, mors imatura nobis eripuit fato lugubri sane atque funesto. Videbamus tum, nosmet ipsi moerore vexati acerbissimo, vndique communis et publici luctus indicia tristissima. Ingemiscebat Germania IOSEPHO SVO, Imperatore vt sapientissimo, ita clementissimo, orbata. Conquerebantur illius summi Principes. Lugebant exterae nationes per omnem terrarum orbem dispersae, quas dudum rebus Suis praeclarissime gestis in Sui abriperat admirationem. Plangebant tot regna, tot provinciae, quae sub Eius miti imperio omni prosperitatum genere abundauerant. Lamentabantur omnes imperii Romani liberae Respublicae, quae sub Eius tutela recordabantur se fuisse tranquillas, securas, beatas, inter quas etiam tu, Patria mihi carissima, Lubeca, in primis deplorabas vulnera dolorum plenissima, quae tibi fati inflixerat acerbitas, quibusque nemo vquam mederi posse videbatur.

Videbatur quidem nemo posse; sed voluit, qui omnia, quae vult, pollet, Deus immortalis, quae inflixerat, vulneribus mederi. Ejus clementia dispulit nubes illas atras, fulmina nobis minitantes dirissima. Iussit ille Omnipotens, ut post nubila Phoebus luce splenderet noua; et luce splendet nitidissima, arua exhilarat lugentia, fruges profert uberrimas. Prouida Dei Optimi Maximi cura effectum est, ut summi Germaniae Principes, quibus ius competit, Imperatorem eligendi, admirabili quodam omnium consensu putauerint, nullum hac imperatoria maiestate esse digniorem, quam LEOPOLDVM, Magnum Hetruriae Ducem, IOSEPHI II. Fratrem Gloriosissimum, Augustae domus Austriacae, e qua tot Imperatores exierunt de communi Germaniae salute meritis condecorati summis, decus splendidissimum, nec putaverint tantum, sed Illum etiam maxima animorum conspiratione elegerint. Quam ouabat, ob nuncium huius auspiciatissimae electionis laetissimum, Germania? Quanto animorum feruore edere gestiebat summae laetitiae signa luculentissima, quum Imperatorem Optimum, Sapientissimum, Benignissimum, LEOPOLDVM II. sibi gratularetur?

laretur? Quantis gaudiis non modo principum virorum palatia, sed infimorum etiam domicilia resonabant? Resonabant iisdem, Lubeca, omnes tuae plateae, domus, turres, munimenta, templa, Deo immortalis, omnium regum regi supremo consecrata. Coibant undique ciues, quorum frontem laetitia exhilarabat, quorum ex ore congratulationes audiebantur, qui LEOPOLDO, Imperatore suo Clementissimo, se arbitrabantur fore beatissimos. Laetiarum, quibus senes, viri, iuuenesque in moenibus nostris abundabant, insignia documenta Patres patriae optimi viderant, summo gaudio ipsi affluentes. Quapropter, ut illis quasi cumulus adderetur, per urbem illiusque ditionem diem festum ciuibus indici iusserunt suis, quo omnes in communis laetitiae venirent societatem.

Sponte sua currentibus, quid erat facilius, quam calcar addere? Confluebant quasi agmine facto non tam amplissimi Senatus decreto iussi, quam suo ipsorum interno quodam impetu excitati, in templa, summaque animi et attentione et pietate percipiebant sacrorum praeco-

num doctrinas falubres, exhortationes, congratulationes, laudes in primis Deo dicatas, cuius nutu omnipotenti effectum erat, vt Sere-
nissimus, Potentissimus Princeps atque Dominus
LEOPOLDVS II. in folium adscendisset Impe-
ratoris. Audiebantur in templis etiam tuba-
rum, lituorum, tympanorum concentus iucun-
dissimi. Clangebant turres tibicinum, tubici-
num, campanarum commixto strepitu, atque
ipfae machinae in munimentis nostris igniuo-
mae tonitru suo non, vt adsolent, mortem
cruentam, sed vitam laetiolem, non luctus mi-
serabiles, sed gaudia dulcissima, non patriae no-
strae instantem deuastationem, sed illius inco-
lunitatem, in dies magis magisque efflorescen-
tem, annunciabant. Quid? quod ipsa beni-
gnior natura ad celebritates huius diei aëris fe-
renitate, folisque radiis splendidissimis, quos
per aliquot hebdomades nubium obscuritas no-
bis subtraxerat, celebriores faciendas conspira-
re videbatur.

Quae quidem omnia Musae, hanc bona-
rum artium atque literarum humaniorum of-
ficinam incolentes, perceperant, communisque
volu-

voluptatis dulcedinem, sed in pectore tantum inclusam, degustauerant, nullisque signis illam publice testatam reddendi eis data erat occasio. Quid igitur illis optatius, quid iucundius contingere potuit, quam euocari, ut pectore non amplius, quo abundarent, gaudium premerent suum, sed potius indicarent; ut in tam splendida praestantissimorum virorum corona solemnities illa, quae a tota republica erant celebrata, quantum possent, rite renouarent? Patrum Conscriptorum decreto mihi sparta demandata est, ut pietatis, qua flagrant in Deum, qui nobis Imperatorem dedit Sapientissimum, Clementissimum, Potentissimum, devotionis, qua LEOPOLDVM II. semper Augustum venerantur, laetitiarum, quibus ob beneficia totae Germaniae diuinitus concessa exsultant, interpretes existerem. Utinam hoc munere decenter fungi possem gravissimo! Non quidem a scopo, nec a Vestra, Auditores, expectatione esset alienum, si, quae IOSEPHVS II. pariter ac LEOPOLDVS II. Fratres, quales, ut constat inter omnes, nulli unquam fuerunt, et ut harum rerum gnari iure suo arbitrantur, numquam erunt, sapienter, clementer, feliciter egerint, mente gratissima, nec

fine summa animi admiratione recolerem atque praedicarem. Sed res illas, ab Eis gestas, esse tantas, vel ipsa Demosthenis et Tullii facundia confiteretur, ut eas non enarrare, multo minus exornare posset. Attamen videre mihi videor, res illas, quas posteritas alet, quas ipsa aeternitas intuebitur, aureis literis in tabula quadam consignatas esse, a qua nonnullas easque praeclarissimas describendi, Vobisque recitandi, peropportuna se mihi offert occasio, qua ut recte utar, omnibus contendam viribus. Sed, quam illae meae sint exiguae, quum sentiam; Vos, Patres patriae spectatissimi, Vosque ceteri Auditores, pro suo quisque ordine ac dignitate decenter compellandi, summa animi obseruantia rogo, ut me fauore vestro suffulciatis, serenaque fronte excipiat illa, quae de Romanorum vtrisque Imperatoribus dicturus sum, et consanguinitate, et animi magnitudine, et virtutum praestantissimarum studio, et maiestate Caesarea inter se coniunctissimis. Ut autem maximo cultu Illos prosequi soletis; ut innumera illa beneficia, quae patria vestra dulcissima ab Austriaca domo accepit, cuius Illi sunt ornamenta splendidissima, animo recolitis gratissimo:

ita

ita Vos etiam, ad me de Illorum summa praefantia differentem attentione vestra beneuola fubleuandum, esse propensissimos, non spero tantum, sed confido etiam certissime.

Tantis ingenii dotibus IOSEPHVM II. benignior natura exornauerat, vt, quum doctrina, diligentia, exercitatio eas excoluerant, amplificauerant, perfecerant, a supremo Numine ad innumeros homines sapienter et benigne regendos efformatus atque caelitus missus videretur. Non tantum omnium illorum, qui imperio Eius subiecti erant, linguas calluit, sed incredibili etiam studio atque facilitate linguam Latinam, Gallicam, Italicam tam exacte didicerat, vt cum in illis, quae sentiret, eleganter eloqui, tum et literis consignare posset. Historiam recentiorum omnium et recentiore, et veterem mirum in modum sibi habuit cognitam, et Geographiae adeo studiosus fuit, vt omnes terrarum tractus, urbium florentissimarum non solum, sed ignobilium quoque oppidorum situs in quouis ferme regno, in quauis prouincia vno quasi adspiceret obtutu. In primis illarum nationum, quibus imperaturus esset, iura, priuilegia,

legia, immunitates summa industria exploraue-
 rat, et fundamenta, quibus subniterentur, per-
 scrutatus erat; sed viderat etiam plurima, quae,
 quoniam collapsa defluerant, feueris legibus
 vincienda erant, multa, quibus premebantur
 innocentes, multa, quibus, quo minus com-
 munis omnium salus ubique effloresceret, im-
 pediebatur, et consilium ceperat nunquam fa-
 tis praedicandum, emendandi, quae erant cor-
 rupta, immutandi, quae pestifera, stabiliendi,
 quae salutaria intelligebantur.

Quae quidem quum sciret MARIA
 THERESIA, Mater tanto Filio Dignissima, sic
 illum moribundam allocutam ferunt: "O quan-
 ta laetitia, Fili Optime, vel in mortis ago-
 ne animum meum implent insignes Tuae vir-
 tutes, quae lectulum, cui sum affixa, luce
 circumdant iucundissima? Nil mihi restat dicere,
 quam maxime virtute, esto humani generis de-
 liciae, esto semper felicissimus!" Collacrimans
 audiebat blandam vocem Matris Suae, vt in
 tota vita, sic etiam in ultimo illius termino
 magnae. Audiebat non tantum, suauissimae
 Matris vocem, sed illa etiam sentiebat Se ita
 robo-

roborari, ita impelli, vt omnibus, quibus flore-
 bat, ingenii dotibus, omni virium contentione
 ad ea perficienda niteretur, quae ad communem
 omnium felicitatem stabiliendam, stabilitam
 augendam esse necessaria intelligebat. Quae
 quum saepius pensitauisset, videre sibi videbatur,
 ad hunc Suum scopum nil esse accommodatius,
 quam vt primum rationi humanae iura, quae
 illi erepta erant, libertatemque redderet, Deum
 ita venerandi, vt eius cultum sibi saluberrimum
 putaret, de rebus diuinis ea cogitandi, quae
 arbitraretur esse verissima, et aperte, sed modeste
 atque moderate confitendi, quae de illis sentiret;
 postea vt fabricarum atque emporiorum industria
 immunitatibus atque praemiis excitaretur, et
 denique vt regni Sui amplissimi prouinciae,
 quamquam diuersae essent et locorum situ, et
 linguarum varietate, et legum atque morum
 consuetudine, ita coirent, vt, quantum fieri
 posset, iisdem regerentur legibus, et coniunctis
 omnium membrorum viribus imperii quoddam
 corpus, vt ita dicam, enasceretur validissimum,
 omnibusque numeris absolutum.

Quanta quaeſo conamina? O inauditam
 animi magnitudinem, qua ad ea Sibi proponenda,
 diuino

diuino quodam instinctu excitabatur, nec reformidabat ea exsequi, quae vires humanis longe superiores desiderare videbantur! Quamquam omnia impedimenta, quæ essent superanda, nimirum horrenda superstitionis, inuidiae, contumaciae, auaritiae, superbiae monstra, praeuideret: tamen tam incredibilis erat IOSEPHI fortitudo, tam inuicta Eius cupiditas, de regnorum suorum incolumitate, de illorum, quibus imperabat, salute optime promerendi, ut a Se non potuerit impetrare, quo minus, quae Ipsius sapientia atque clementia sibi proposuerat, ea prudenter ac fortiter exsequi conniteretur. Ecquis erat tam excors, qui non optaret, ut ex votis Illi succederent omnia? Ecquis est tam durus, cui non volupe sit, ea, quae egerit, quaeque perfecit, memoria repetere, admirari, praedicare? Theatrum profecto fortitudinis, qua non datur maior, animi magnitudinis, quae est inaudita, solertiae, quae fatis laudari nequit, se nobis aperit sane dignissimum, ut ad illud oculos dirigamus.

Tanta IOSEPHI pietas erat in Deum, ut nil sibi prius, nil antiquius esse iudicaret, quam eum, a quo hominum fata dependerent omnium,

ita

ita colere, ita venerari, vt ratio, diuinae reuelationis luce collustrata, rectum atque iustum esse, intelligit. Religio caelitus nobis concessa plurimi ab Illo aestimabatur. Sed, quae superstitio illi turpiter admiscuerat, quibusque ad diuinam eius praestantiam nisi omnino tollendam, tamen vehementer obscurandam, erat annisa, non cognoscebat modo, sed in odio etiam habebat, non fouebat, sed feueris legibus ab illa seiungenda esse arbitrabatur. Quum a diuino nostro sospitatore non iustum esse sciret, vt homines a coetu humano segregarentur, solitudines quaerent et latebras, in quibus delitescerent, sed vt humanae societati inseruirent, communem illius salutem promouerent, morum integritate virtutumque studio aliis praelucerent mortalibus: Suarum esse partium putabat, ea potestate, quae a supremo vniuersae naturae gubernatore Ipsi concessa erat, plurima, vt dicuntur, coenobia tollere.

Quanto etiam opere superstitionis defensores repugnarent; tamen eorum conamina heroico animo irrita fecit omnia, et infregit horum domiciliorum claustra, in quibus vitam viuebant
homines

homines solitariam, calamitosam, multisque catenis quasi confrictam, eosque tamquam vtilia membra humanae societati reddidit. Ne autem iam illa libertas egenis atque pauperibus oneri esset, illis tulit suppetias, ut haberent, unde commode vitam tolerarent, annuosque illorum, quae sustulerat, coenobiorum reditus non Sibi arrogavit, sed ad publicos usus, ad sanctorum coetuum doctores, ad pueritiae et iuventutis magistrōs decenter alendos adhiberi, sapientissime clementissimeque iussit.

Quamquam IOSEPHVS rem illam fatis arduam et communi incolumitati accommodatissimam feliciter confecerat; tamen hic subsistendum Sibi non esse, sed alia aggredienda magis ardua multoque maiora, non modo censebat, sed generoso atque intrepido animo labores suscipiebat difficillimos, spernebat malefactorum hominum obtreptiones atque calumnias, quorum aliquem, cuius proteruitas famoso libello Eum diffamauerat, sic affatus dicitur: "Si tanta infamia, verbisque contumeliarum plenissimis ipsam regiminis formam incessere ausus esses, mortis supplicio multandus fuisses. At nunc, quum

"quum de me illa effutiuiſti, impudentiae tuae
 "vltor non ſum, ſed crimen illud tibi condono."
 Flocci pendebat impedimenta periculi atque diſ-
 criminis referta, quae Sibi ſuperanda eſſe, facile
 coniectura aſſequebatur.

Fuerant, fuerant olim perquam triſtia tempora,
 in quibus ſuperſtitio crudeliter graſſabatur, ſufful-
 ta nimirum ſtupenda animorum ignorantia. Illius
 peſte miſeri homines adeo infecti erant, adeo
 debilitati, vt catenas ferre non recuſarent, quas
 Pontificum, qui Romae reſidebant, tyrannis
 aliqua illis iniicere audebat. Vidit IOSEPHI
 mens perſpicax innumera illa detrimenta, quae
 regnis Suis per longam ſeculorum ſeriem illata
 erant, et adhuc maxima inferebantur iniuſti-
 tia. Noluit igitur, vt haec mala diutius latius-
 que ſerperent, et, vt praecipue ceteris Ger-
 maniae Principibus exemplo Suo ſplendidiffimo
 praeiret, antiſtitibus ſacrorum Suis iura, a Chri-
 ſto tributa, a Pontifice Romano autem olim in-
 iuſte erepta, reſtituit; vincula, quibus ſacer-
 dotum diuerſos ordines conſtrictos tenebat Prae-
 ful Romanus, diſrupit fortiter, Pontificiamque
 iuriſdictionem in Suis regnis omnem ſuſtulit.

B

Quan-

Quanta inde enascebantur diuerfa hominum molimina? Hic gaudebat Germania, illic Roma obstupescebat; hic heroicum IOSEPHI factum summis laudibus efferebant viri prudentes ve-
reque pii, illic malefani homines, nescio qua superstitiosa sollicitudine turbati, audacter calumniabantur. Supplicibus tandem verbis placare Imperatorem studens ipse Pontifex, quum fulmina sua non amplius nocere posse sciret, (o rem per omnia retro secula inauditam, prodigiique fimilem!) Pius VI. ipse Roma Vindobonam ad Imperatoris Sapientissimi Iustissimique maiestatem ac solium profectus est. Hospitaliter honorificeque Pontificem IOSEPHVS excepit, amplexatus est, osculatus; eius querelas clementer audiuit, sed propositi optimi tenax, quod literis ad eum datis saepius declarauerat, illi declarauit denuo, argumentisque ostendit omni exceptione maioribus, Se nihil immutasse, nihil praecepisse, quam quod pietas non fucata erga Deum purioremque religionem, in patriam amor, iustitia erga omnes a se postulauerant, addiditque, Se nil alienum Sibi, neque antistitibus Suis arrogasse, sed, quae illis tum, quum summa barbaries tyrannidem exercuerat, prae-
ter

ponerentque; ne sub specie iustitiae in miseros illos, qui eorum implorabant auxilium, essent iniustissimi, eosque redderent miseriores; ne luxuria atque prodigalitate deperditi aeraria expilarent, sibi que aliena arripere auderent.

Nec tam magnifica voluptatum palatia, quam domicilia exstruenda curauit plurima, in quibus aegroti conualescerent, nutrentur infantes crudeliter expositi, alii que siue parentibus orbat, siue pauperes. Viduis maritorum de republica bene meritorum egenis ut suppetarentur, quae ad vitam liberaliter sustentandam erant necessaria, benignissime iussit. Utinam prosperrimo euentu IOSEPHO successissent omnia, quae instituere, praestare, tueri, Eius sapientia volebat! Utinam, quemadmodum in animum induxerat, omnes, quas regendi potestas diuinitus Illi data erat, nationes, quantum fieri poterat, et uniuersae conducebat saluti, artius copulare, et quasi in unum corpus coartare potuisset! Quanta inde omnium effloruisset felicitas? Tantum fane IOSEPHI regnum exstitisset, quantum aliud neque in antiquissimis temporibus, neque in nostris vllum fuisset.

Sta-

Stabiliuisset profecto illud, nec non difficultates, quantumuis magnas, inuisita Eius constantia, fortitudo, sapientia superasset, nisi bellum esset exortum luctuosissimum, quod, si antea de insignibus Eius in Germaniam meritis nonnulla commemorauero, non penitus silentio praetereundum esse, ipsi iudicabitis.

Quum ante viginti et quinque annos IOSEPHVS, FRANCISCI et MARIAE THERESIAE Filius, Gloriosissimis Parentibus Dignissimus, domus Habsburgicae sidus lucidissimum, vnanimi Principum Electorum suffragio Imperator eligebatur: quanto tum gaudio exultauit Germania, Germania, inquam, cuius multae diuersaeque prouinciae in vnum quasi corpus coaluerunt mirabile, cui nullum simile in terrarum orbe inuenitur; cuius coniunctae vires tanta sunt potentia, vt nulla externa vi superari, sed quamlibet aliam facile superare possint. Praescripti quidem sunt Imperatoriae potestati ob internam admirabilis huius regni constitutionem termini, quos ne illa transgrederetur, sancitum est legibus, ad quas obseruandas iureiurando IOSEPHVS Se rite obstrinxerat; sed noluiisset

ter-

terminos illos transgredi, si etiam licitum fuisset. Nil prius Illi erat, nil antiquius, quam eo contendere, ut Germaniae salus noua caperet incrementa; ut cunctos illius Principes ac Proceres artiore amicitiae concordiaeque vinculo coniungeret; ut cuiusuis iura facta testaque feruaret; ut ab infimis non minus, quam a summis quamlibet propulsaret iniuriam; ut corrigeret, quae corrupta, vinciret, quae lapsa erant; ut restitueret supremis sacrorum Antistitibus Germaniae, quae Pontificum Romanorum auiditas illis olim detraxerat. Tantum aberat, ut iusto maiorem in Principes Magnatesque imperii potestatem sibi expetiuiisset, ut potius Imperatoria Sua maiestate et potentia illorum libertates, immunitates, priuilegia ab omnibus iniustitiae insultibus defenderet atque tueretur. Quum videret, supremos illos Germaniae iudices, qui Suo nomine, Sua auctoritate cunctis cuiusuis ordinis et conditionis Teutonibus ius aequaliter dicere debebant, vel quia haud satis suffulciebantur, non audere sic iudicia ferre, ut aequum esse sentiebant, vel nolle, quia siue iustitiae non erant amantes, siue auidi pecuniarum, quibus no-

centes eos corrumpere studebant: quanto iustitiae amore, quanta prudentia id incepit, confectique, quod dudum optatum, inceptum quoque, sed non confectum erat?

Iussit enim, ut tribunalium Suorum instituta, consuetudines, leges denuo ad examen reuocarentur; ut ab inutilibus purgarentur additamentis; ut illorum pristina dignitas atque auctoritas redintegraretur; ut iudices ipsi eligerentur peritissimi, iustissimi; ut, quantum fieri posset, nulla potestas illis relinqueretur, si etiam vellent, ne vnguem quidem transuersum recedendi ab illis, quae leges iuebant, quaeque ius et aequitas postulabant. Quae quidem omnia non iussit tantum, sed indefessa etiam industria effecit, ut illa Germaniae suprema tribunalia ita florerent, quemadmodum antea flourerant numquam; ut eorum iudices essent tutores innocentiae scelerumque vindices feuerissimi. Et quam innumera ex hoc fonte salubri ad Germaniam commoda redundabunt? Quibus id profecto accensendum iam esse, quis est, quem fugiat, quod de grauaminibus Corporis Evangelici siue nunquam, siue rarissime quicquam

am-

amplius audiatur, quia tum Eius exemplo nitidissimo, tum auctoritate summa commoti, se invicem humaniter tolerant illi, qui de quibusdam rebus facris non eandem ferunt sententiam.

Plures sane florentioresque fructus ex iis, quae stabiliuisti, quae reformasti, quae ordinasti, non sine summa laetitia visurus olim fuisses, Tu humani generis Deliciae, Germaniae Imperator Optime, DIVE IOSEPHE, nisi, Te invito, bellum exarsisset luctuum acerbissimorum plenum, deplorandum, crudele. Horresco referens, horrescunt audientes cuncti, qui, quae mala Tibi, quae illis, qui sub Tua tutela se esse beatissimos sentiebant, quae toti Germaniae bellum intulerit, recordantur.

Illud quum indiceret Moslemorum Imperator Rutheniae Imperatrici, CATHARINAE II. Martis cruenti flammis, sub cinere adhuc gliscentes, extinguere, atque Abdulhamedum commouere voluisti, vt belligerandi cupiditatem effrenaret perniciosissimam. Sed tanta eius erat contumacia, vt, spretis Tuis consiliis, pacis et togae fociis, contra Augustissimam Russorum Impera-

peratricem arma fumeret. Itaque, foederum iure Te esse obstrictum, iudicasti, vt CATHARINAE II. auxilio venires. Exercitus Tuos omnibus copiis instructissimos ita distribuisti, vt non inuaderes Turcarum prouincias, sed defenderes Tuas, et vt, quae Tua de bello fuerit voluntas, dubitare posset nemo. Attamen Moslemorum ferocia impulsus es, vt eorum insultus repelleres, eorum expugnares propugnacula, viresque frangeres. Famem, sitim, aëris iniurias, innumerasque alias belli molestias animose tulisti, vt militibus Tuis esses exemplo. Nulla vitae pericula extimuit Tua fortitudo, nec vlla vifrangi potuisset; nisi grauisimo morbo correptus heroas Tuos deserere, Vindobonamque aegrotus redire coactus fuisses.

Quantis cum malis postea Tibi erat luctandum? Quibuscum tanta animi magnitudine, tanta in Deo collocata fiducia luctatus es, vt ab omnibus victoriam reportaueris gloriosissimam. Annunciabatur Tibi aegrotanti, in Belgio Austriaco homines tumultuari, et dolebas illos ingratos, qui ob beneficia, quae in illos conferre voluisti, seditionem concitabant. Afferebatur Tibi nuncius tristissimus, ELISABETAM, Tuas deli-

delicias, FRANCISCI, quem Fratris Tui Dilectissimi Filium paterno semper amplexus eras amore, Coniugem dulcissimam, praeter omnem expectationem subito mortuam esse. "Quae vulnera dolorum plena Mihi inflixisti, o Deus!" gemebunda voce dicebas, addebasque pie: "sed fiat voluntas tua!" Medicis, qui Te admonebant, ne morbum grauem grauiorem faceres assiduis laboribus, respondebas: "Saluti populorum Meorum, quousque potero, optime prospicere, quid Me dignius?" Ad feralem Tuum lectum accedebant heroes Tui, atque, qui in nullo vitae discrimine contremuerant, conspecta pallida macraque Tua facie, toto corpore contremiscebant, lacrimabantur. Tu solus eras intrepidus, consolabaris illos, erigebas. Medicum, qui, quum id ex eo interrogasses, mortem Tibi propius instare tremebundo ore annunciabat, regia liberalitate munerabaris. Et tandem animo, religionis diuinae consolationibus pleno, ad eum, qui Tibi erat a confessionibus facris, dicebas: "Me non multo post ex hac vita discessurum esse, iam sentio. Recita Mihi orans Psalmum: Domine, in manus tuas commendo animum Meum." Orabat ille et intuebatur lumen placide extingui,

quod non regnum modo Aufriacum, non Germaniam tantum, sed ferme omnes terrarum gentes splendore suo collustrauerat. Quis est vestrum, Auditores, qui non moerore affligatur acerbissimo; qui sapientem vllum recordetur Huic comparandum; qui non illos, quibus DIVVS IOSEPHVS ad caelitem choros adscendit, gradus admiretur nitidissimos; qui non tristitia summa occidere solem videat in ipso occasu diuina quadam luce splendentem?

At lacrimas tenete, frontem rursus exhilarate! En nouum solem, iisdem radiis coruscum, nobis, toti Germaniae, Aufriacis regnis, immo omnibus gentibus orientem, LEOPOLDVM II. IOSEPHO II. Fratrem Optimum numquam laudibus satis efferendo, Dignissimum! Subortus dudum Ille est fortunatis gentibus Hetruriae, cuius in magno ducatu, LEOPOLDI magnitudo animi, clementia, sapientia, sincera in Deum, supremum omnium regum regem, ita enituit pietas, vt sub Eius imperio mitissimo ad summum incolumitatis culmen adscenderit; vt ferme omnium oculi ad hanc mirum in modum efflorescentem Italiae partem conuersi fuerint; vt
omnis

omnis posteritas habitura sit, quae non poterit
 fatis admirari, fatis praedicare. Sunt quidem,
 quae ibi gessit praeclarissime, tanta tamque in-
 numera, vt essem amens, si me illa vna oratione
 complecti, aut modo cogitatione assequi posse di-
 cerem. Attamen quum id et huius diei celebri-
 tati accommodatum, nec a vestra, Auditores, ex-
 pectatione alienum esse, facile intelligam: ex hoc
 affluentissimo quasi Amaltheae cornu quaedam
 deprompta Vobis ante oculos ponam, quae sunt
 profecto insignia, admirabilia, nec vlla debun-
 tur obliuione.

Qualis DIVVS IOSEPHVS II. in Suo am-
 pliore regno erat, talis LEOPOLDVS, Frater Illius
 simillimus, iisdem magnis Parentibus natus,
 iisdem penatibus educatus, iisdem ingenii doti-
 bus a natura ornatus benigniore, huc vsque in
 magno Hetruriae ducatu fuit. Eadem fortitu-
 dine ad tyrannidem scilicet sacram, quam in
 illis prouinciis, quae Eius imperio parebant, ex-
 exercere Pontifices diu quidem, sed iniuste con-
 fueuerant, auferendam, eiusque quasi fibras
 euellendas annifus est. Propius quidem aberat
 ab irato illo Ioue, cuius fulmina non timuit, et

C 4

aduer-

aduersariorum, nescio qua superstitionis rabie tumultuantium, molimina, siue aperta siue clandestina, animo aspernatus est generoso, atque irrita fecit omnia.

Quam in rebus sacris iurisdictionem legatus Pontificis, qui vulgo appellatur Nuncius Apostolicus, longa quidem consuetudine sed iniusta exercuerat, eam peregrino illi iudici non amplius concessit LEOPOLDVS, verum Suis sacrorum summis antistitibus restituit. Attamen ne ipsi de rebus ciuilibus ius dicendi potestate, regentium populos, non docentium propria, diutius abuterentur, merito impediuit. Quum antistites crearentur; iure iurando olim Pontificibus polliceri debebant, se velle ad Apostolorum sepulcra, profecto non vera sed ficta, Romamque statuto tempore proficisci, et res novas, quae ad sacra pertinerent, illi annunciare. Sed auebat Pontifex Romanus non tam eas, quam potius regiminis arcana ex illis sciscitari. Quae inde incommoda et essent orta, et oriri possent; quum LEOPOLDVS videret, illa mala imperio Suo perniciosissima diutius grassari noluit. Quid igitur melius, quid salubrius poterat

rat

rat esse, quam vt illis omnem occasionem praecluderet, tacenda prodendi? Itaque iussit Eius sapientia, vt Episcopi Romam non iter facerent, nec ad Pontificem vllius rei indicium, literis consignatum, mitterent, nisi Ipse illas antea et legisset et probasset.

Erectum erat etiam in Hetruria tribunal immane, horrendum, quod Quaesitorum fidei nomine superbiebat. Quanta tormenta miseris et saepe innocentibus a monstro illo crudeli erant extimescenda? Eratne eo magis execrandum, quo impudentius se mentiebatur esse purioris religionis, a Christo pacis et salutis nostrae auctore institutae, defensorem atque tutorem? Non puniebat tam vitia, quam innocentiam, tam flagitia, quam meliora, rectiora, veriora discendi cupiditatem. Quam diu grassabatur, tam diu nemo, quamuis pius, quamuis virtutis studiosus, poterat esse satis tutus, ne ab illo vel ob inanem suspicionem in carcerem coniectus horrendis cruciatibus affligeretur, atque adeo igne et flamma combureretur. Vt autem id atrocissime furebat: ita fortissimo animo LEOPOLDVS immanitatem illius oppressit, eius destruxit tribu-

nal, et ex faucibus illius eos, quos comprehenderit, liberauit, omnibusque iis, quorum pater potius quam dux erat, ad optime de futura securitate atque de salute non sperandum modo, sed confidendum etiam, quasi signum aliquod sustulit.

Seueris poenis scelera plectenda esse, ne vitium triumphet, virtus oppressa gemat, quis est, qui nesciat? At poenas scelere grauiores, quibus vitiosi perduntur, non corriguntur, quibus cum nocentes, tum infontes etiam saepe torquentur, ab illis sumere, non iustitiae videtur esse, sed immanitatis. Sic cogitabat Optimi LEOPOLDI humanitas. Quanto igitur opere eo contendebat, vt nouus quidam iuris criminalis Codex componeretur, qui leges contineret humanae naturae et omnium saluti accommodatiores? Quapropter leges duriores, quae iubebant, sceleratorum alios corporis parte aliqua mutilari, alios bonorum multatione, alios mortis supplicio plecti, alios in equuleum coniici, vt, quorum saepe falso accusabantur, crimina faterentur, admirabili benignitate LEOPOLDVS abrogauit, humanius esse ratus, aliquos nocentes

tes

tes impune dimittere, quam vel vnum innocentem distorquere crudeliter. Quanta Optimus Princeps affluebat laetitia, quum lenioribus, quas tulerat, legibus sceleratorum hominum multitudinem non esse auctam, sed minutam, carceresque publicos flagitioforum plurimis mensibus esse vacuos videret, quia non grauiorum suppliciorum metu, sed virtutis amore scelera committere verebantur, qui imperio eius subiecti erant leniori?

Audiuistis, Auditores, tacita quidem, sed ex oculis vestris quasi effulgente praeclaras illas res a LEOPOLDO gestas admiratione. Superfunt plures non minus admirabiles, quas Eius in totum Suum populum benignitas exsecuta est. Quamuis illas, non vt earum dignitas postulat, praedicare queam; tamen sua ipsarum praestantia, si etiam ex ore hominis percipiuntur non diferti, nullis eloquentiae ornamentis adhibitis, ita splendescunt, vt auscultantium animos non possint non laetitia afficere dulcissima. Quot, quamque insignia dedit clementiae incredibilis documenta LEOPOLDVS? Cernebat militum Suorum liberos plurimos omnibus
sub-

subidiis ad vitam bene viuendam necessariis esse destitutos, quos Suo sumtu ali iussit, atque ita educari, vt patriae suisque aliquando inferuire possent. Obuerfabantur Illius ante oculos miseri, qui grauiissimo onere, siue egestate, siue morbo, siue vtrisque malis premebantur, et hic ptochotropha, illic nosocomia curauit exstruenda, in quibus sustentarentur, sanarentur, recrearentur. Nec minus infimis hominibus, quam summis, aperuit palatium Suum, vt tribus cuiusuis hebdomadis diebus ad Se libere accederent, quorum preces benigne audiuit, absterfit lacrimas, calamitatem mitigauit, omnibusque tam benignas aures praebuit, vt finem sermonis suus cuiusque pudor, quod Plinius olim tamquam singulare quid atque inauditum de Traiano gloriatus est, non Eius superbia fecerit. Per omnes Suas prouincias montuosasque regiones, non dico molestiarum, sed periculorum etiam referta itinera confecit, non vt regia quadam pompa et magnificentia subiectorum Suo imperio hominum oculos in se conuerteret, sed vt miserorum tuguria clementer inuiferet, subleuaret inopes, egestatem leniret, innocentiam a superbiae atque auaritiae insultibus iniuriisque defen-

defenderet, atque omnium salutem redderet tutiorem florentioremque. Quum seruos a feuerioribus dominis ferme opprimi videret: infortunatos illos a seruitute dira liberauit. Quam exultabant illi, a LEOPOLDI clementia in libertatem, a natura sibi concessam, a crudelitate autem potentiorum ereptam, vindicati? Quanto studio in Eius honorem pyramidem e marmore confectam, monumentumque marmore atque aere perennius in suis suorumque posterorum animis exstruebant?

Ad omnia illa, quae incremento communis salutis obstabant, erat mirum in modum attentus. Vix animaduertat, vectigalia atque tributa, quae soluenda erant, plurimis oneri esse nimis graui, quum iam diminuit illa, et, vt sine detrimento regiminis Sui posset, quos milites ad Hetruriam tutandam non esse necessarios cognouit, illos dimisit, atque agriculturae reddidit. Admirabimini, Auditores, ea, et vix posteri credent, quae silentio praeterire, mihi ducerem religioni. Quum FERDINANDVS IV. Rex Neapolitanus Potentissimus, Florentiam sua praesentia ornaret, et pecuniae, quae ad celebritates

quas-

quasdam in Illius honorem publice instituendas necessaria erat, comparandae ergo, aliquis LEOPOLDO consilium daret, vt nouum quoddam fatis modicum tributum populo Suo indiceret, reiecto hoc consilio, respondit: "Sunt Meae dulcissimae Coniugi, MARIAE LOVISAE, gemmae lapidesque nobiliores immensi pretii, quos tanti habet, vt illos vendi aequo animo patiatur ac lubenti, ne populo Meo vllum nouum onus imponam." O vocem huc vsque inauditam! O clementiam LEOPOLDI, Patris patriae Benignissimi, paene diuinam!

Quid de studio optimarum artium atque doctrinarum, quo flagrat, quid de munificentia ac benignitate dicam, qua eruditissimos quosque fuit, ornauit, adiuuit? Si quis nesciat: de illa loquitur Florentia optimis artibus earumque peritissimis doctoribus ita affluens, vt Athenae antiquae ad illam translatae esse videantur. Loquuntur lycea et scholae inferiores, in quibus ab idoneis magistris et puerorum et puellarum tenerae mentes vtilissimarum rerum cognitione imbuuntur. Quid de conaminibus praedicem, quibus mercatorum, artificum, opificum, agricolae-

colarum industriam excitauit, suffulfit, adauxit? Testantur commercia optime constituta, florentesque mercatorum societates variis immunitatibus ac negotiandi libertate donatae. Testantur viae publicae, com meatibus aptae atque munitae, fabricae, officinae plurimae; testantur campi olim vepribus et tribulis confiti, iam cum aristis, tum aliis frugibus pomiferisque arboribus ornati. En originem causamque maioris, tutioris, amplioris felicitatis, qua cuiuslibet ordinis in Hetruria incolae fruuntur! Quid igitur mirum, quum scirent, LEOPOLDI Sui benignitate sapientique rerum gubernatione, se in dies fore beatiore, vt gratissimi animi monumentum posteris studuerint relinquere? Ad quod ponendum quum collegissent pecuniae summam idoneam, sibi que a LEOPOLDO illius exstruendi expeterent licentiam, dixit: populi in Se Sui amore Sibi nil exoptatius esse, nil dulcius, Seque summam collectae pecuniae adauxturum esse, vt ad res vtiliores, salutique communi accommodatiores applicarentur. Quid commemorem de LEOPOLDI pietate, qua Deum semper veneratus est, et huic supremo iudici cuiusuis diei vespera vitae exactae rationem

nem boni conscientia reddere confuevit, eaque laetissima? Quid de Eius amore in religionem, quam vt illibatam populo Suo restitueret, fedulo laborauit, viros vt eruditissimos ita etiam maxima pietate flagrantes adiuuit, sacrorum antistites conuocauit, eorum pia conamina suffulsi atque tuitus est, qui ab Illo admoniti et impulsu eo contendere studebant, vt religio a stolidae superstitionis labibus liberaretur, vt eadem puritate, eadem luce eniteret, qua olim splendebat a diuino sospitatore instituta? Quid dicam de Eius clementia, qua coenobiorum nonnullorum ianuas reserauit miseris illis siue feminis siue maribus, quorum multi obtorto quasi collo in illa coniecti, solitariam et societati humanae inutilem vitam degere coacti fuerant? Quid de Eius liberalitate, qua sacerdotes plurimos ornauit, eisque veluti calcar addidit, vt maiore solertia populi ignorantiam depellerent, mores emendarent, erigerent moestos, moribundos denique diuino recrearent solatio? Quid de Eius caritate in tori Sociam Praestantissimam, cuius in prosperitate Suam, cuius in laetitiis Suas inclusas esse censet? Quid de amore in Liberos generosissimos, Optimis Parentibus dignissimos, quos

quos voluit non in palatiis marmore, ebore et auro fulgentibus, sed in viliori domo educari, quo a primis inde incunabilis se homines natos esse discerent, ut homines amarent, adiuuarent, bearent.

Quae quidem omnia, quis potest esse tam praeceps, tam mente captus, qui neget, esse tanta, tam eximia, ut inter reliquos homines LEOPOLDVS II. fideris instar lucidissimi ita fulgeat, ut tam regibus, quam principibus viris, posterisque omnibus exemplum praebeat, quod admirentur, quodque aemulentur? Nonne coniectura facile consequi potestis, Auditores, id Dei Optimi Maximi nutu et consilio ita gestum, ita prouisum esse, ut LEOPOLDVS II. a tam altis splendidisque honorum, potestatis et dignitatis gradibus ad altiores eueheretur splendidioresque? Enitebat dudum praeclare Eius admirabilis regnandi peritia. Enitescet profecto clarior lucidiusque, quum Rex tot regnorum, Gubernator tot prouinciarum a supremo omnium regum domino et rege constitutus est. Flebat Illius ob discessum Hetruria, nec haberet, quo se consolaretur, nisi FERDINANDVM IOSEPHVM, Patris simillimam sobolem virtutumque Suarum heredem illi tamquam Magnum Ducem

D

reli-

reliquisset. Laetabantur regna, IOSEPHO Suo orbata, quum LEOPOLDVM II. venire quasi diuinitus ad se missum viderent, vt imperii sceptrum gereret, vt in gaudia dulcissima luctus transformaret acerbissimos. Transformauit quoque illos LEOPOLDI clementia. Lenitate Sua singulari animos studuit tranquillare illorum, qui se querendi iustas habere causas putabant. Hungariae populus ad seditionem iam propensus Illius benignitate ac sapientia ita commouebatur, vt consilium suum abiiceret, obedientiam Optimo Regi suo sponderet, sibi que felicitatem, qua sub Eius imperio fruiturus esset, gratularetur. Seditiosis Belgii Austriaci ciuibus omnia iura ac priuilegia, quae habuerant antea, vltro pollicebatur. Vtinam desinerent in sua ipsorum viscera saeuire! Vtinam lenissimo LEOPOLDI imperio, non armis victricibus coacti, sed, vt optat Eius benignitas, voluntarie se submitterent! Quid Optimo LEOPOLDO dulcius esset, qui a bello abhorret, pacem concordiamque amat, nec vnum quidem hominem miserum, verum omnes felices faciendi cupiditate flagrat paene diuina, cuius nuper documentum dedit certissimum? Recordamini, Auditores, quot mille homines armati in Silesia, in Bohemia et finitimis regionibus prompti fuerint, vt praelia committerent atrocissima. Borussorum

rum non minus, quam Austriacorum militum gladii districti ferme erant. Aereae igniuomaeque innumerabiles machinae fauces quasi iam aperuerant suas, vt fulminibus homines cateruatim occiderent. Deflebant matres, coniuges ac sponsae mortem miseram filiis suis, maritis, sponis instantem; lamentabantur in agris rustici, ciues in vrbibus propter depopulationem, bonorum direptionem, vrbium florentissimarum incendia, quae iam erant extimescenda. Vbi-que hominum animi percellabantur pauore; vbi-que contremiscebant ob mala tam prope minitania. Sed praesto fuit LEOPOLDVS. Non hostium vi coactus, sed incredibili quodam in humanum genus amore animique Sui magnitudine Turcis infirmatis atque deuictis vrbes, quas expugnauerat, prouincias, quas heroum Suorum armis praeualidis sub Suam ditionem esse redactas sciebat, generose reddidit, tibi-que simul, Germania, pacem. Pax alma a LEOPOLDO nobis est reddita, sic vtrique exercitus laeti vna quasi voce exclamabant, atque arma et cum illis omnem belligerandi abiiciebant voluntatem. Totius Germaniae omnium-que finitimarum regionum gentes eadem laetitia redundabant, et LEOPOLDO pietatis, concordiae pacisque amanti nouam illam gloriam gratulabantur, splendidiorem perennio-remque,

remque, quam quae victoriis innumerabilibus comparari potest. Eidem pacem, securitatem, felicitatem suam gratissimo animo referebant in acceptis. Quantis tu in primis, Vindobona, reliquis Germaniae urbibus longe splendidior, gaudiis exultabas, quippe quae omine faustissimo tum temporis, quum pax a LEOPOLDO restaurabatur Germaniae, in moenibus tuis FERDINANDVM IV. Neapolitanorum Regem Potentissimum cum Coniuge Regia Filiabusque duabus conspicereris, quarum altera MARIA THERESIA CAROLINA cum FRANCISCO IOSEPHO CAROLO, altera LOVISA MARIA AMALIA cum FERDINANDO IOSEPHO, Filiis LEOPOLDI Praestantissimis, nuptias celebrabant, quibus laetiores, solemniore, auspiciatiores numquam celebratae erant. Quibus fortunatissime peractis, singulari summi Numinis consilio ita prouisum est, vt Principes Electores eodem die, quo ante quingentos et septemdecim annos Generosissimae domus Auftriacae Conditor atque Stator, Rudolphus Habsburgicus Francofurti ad Moenum imperii Romani Imperator electus est, LEOPOLDVM II. eiusdem domus Decus Lucidissimum, ad eandem Imperatoriam maiestatem in eadem vrbe eueherent, Illumque ad se inuitarent decenter. Venit LEOPOLDVS cum comitatu splendidissimo, intra
vit,

vit urbem, ad quam ex omnibus ferme Europae regionibus viri principes alique innumeri cuiusvis ordinis homines confluxerant. Quantes illum excipiebant maiori laetitia, veneratione atque pompa, quam olim populus Romanus victores suos, quum ad capitolium curru vehebantur triumphali. Omnes desiderio flagrabant LEOPOLDVM, patriae Patrem Optimum, Imperatoria corona ornatum videndi. Refertae erant domus omnes, tecta adeo omnia, oppletae vndique viae paruulis atque iuuenibus, Eum qui spectare, senibus, Eum qui admirari volebant, aegrotis adeo, qui, neglecto medentium imperio, ad Eius conspectum quasi ad sanitatem prorepebant suam. Omnes, Illo viso, putabant se beatiore, seque habere plurima arbitrabantur, quorum narratione nepotes olim suos oblectare possent.

Quamquam nobis non contingit esse tam felicibus, vt Te, LEOPOLDE II. Imperator Romanorum faustissimo omine Coronate, praesentem intueri, salutare, admirari queamus: tamen eadem pietate Te prosequimur, colimus, atque veneramur. Cuius summae in Te pietatis significationes hodierno die auspiciatissimo, qui nominis Tui gloria prae ceteris eminet, edere, nobis est eo dulcius, eo optatius, quo magis audire iubila, quibus tota Germania, et hodie in primis

D 3

Panno-


Pannonia refonat, quo magis videre nobis videmur signa luculentissima laetitiarum, quibus huius regni affluunt et proceres et infimorum ordinum homines omnes, quum Te sibi Regem suo diademate hodie Coronatum, Sapientissimum, Benignissimum gratulantur. Eodem iure Te sibi Germania Imperatorem suum Gloriosissimum, tot prouinciae et vrbes imperii Romani Te sibi Tutorem suum, Te sibi omnis Europa pacis exoptatissimae et felicitatis ex illa emanantis Datorem gratulatur Clementissimum. Omnes, quorum in societatem summo studio venimus, Deum precibus adeunt ardentissimis, vt Te, in quo eius splendidissima cernitur imago, quouis prosperitatum genere cumulet beetque.


Faxit ille, cuius a nutu omnium hominum fata dependent et gubernantur, qui Te ad altissimum maiestatis dignitatisque culmen in toto terrarum orbe euexit, vt ea, quae DIUVS IOSEPHVS sapienter et benigne instituere atque stabilire coepit, Tu felicissime exsequaris; vt sub Tuo moderamine religionis diuina praestantia luce purissima splendeat, errantes meliora et fallubriora edoceat, beatos reddat beatiores, confoletur solatii egentes; vt omnium pietatem in Deum, reuerentiam in Te, virtutum studia adaugeat, praemiisque mactet dulcissimis! Floreat sub Tua sapienti clementique imperio Germania,


mania, antiqua sua virtute admirabilis, vt numquam antea floruit! Splendeant in Tuis regnis atque prouinciis pietas, concordia, iustitia, securitas, leges, iudicia, vt splenduerunt antea numquam! Coronentur felicissimo successu omnia consilia, labores omnes, quos ad tot decies centena millia hominum sapienter et benigne regenda, tutanda, beandaque impendis! Reuerentur exterae nationes eaeque potentissimae adeo fortitudinem Tuam, vt ad bellum, quod tamquam fontem calamitatum innumerarum auerfaris terribilem, Te laceffere non audeant; vt nil ipsis optatius, nil iucundius esse videatur, quam foederum iure amicitiaeque vinculo Tecum artissime coniunctas viuere! Fruaris vsque ad vltimam senectutem valetudine optima, quae nulla vnumquam interrumpatur aegrotatione! Videas Coniugem Tuam Dulcissimam a quauis corporis infirmitate esse liberatam, omnique laetitiarum genere affluentem! Videas Filios Filiasque Tuas, Gloriosissimae domus Austriacae, ad finem vsque seculorum florentissimae omnium, Decora Lucidissima, illa, qua inter mortales dari non potest maior, perennior, dulcior, felicitate abundare! Sic Tibi e votis succedant omnia, vt olim posteri se suis imperatoribus atque regibus posse nil melius optare arbitrentur, quam si gratulandi causa eis acclament: Sitis incolumes
atque

atque felices, vt LEOPOLDVS SECVNDVS!
 Sit nominis vestri gloria tam splendida, tam
 ferissimis nepotibus iucunda, quam Illius laudes
 omnium gentium literis linguisque celebrantur!
 En vota sincerissima ex intimis animorum prae-
 cordiis effluentia, quibus Tibi a supremo
 Numine perennem incolumitatem deuotissima
 mente apprecatur Lubeca, quam maiores in pri-
 mis Tui, Imperatores Clementissimi, insignibus
 priuilegiis immunitatibusque donarunt, donatas
 ipsi stabiliuerunt, stabilitas confirmarunt, quas
 Tua nobis Caesarea maiestas et benignitas vt
 confirmet et adaugeat, gratissimo animo et fidu-
 ciae in Tua clementia positae plenissimo roga-
 mus atque obsecramus. Quemadmodum pluri-
 mae gentes atque nationes, sic etiam Patres
 Reipublicae nostrae optimi, sic cuiusuis ordinis
 ciues, sic tota Lubeca vnanimi consensu optant,
 semperque optabunt:

VIVAT
 SERVS SOSPESQVE
 EXOPTATA ELECTIONE
 IMPERATOR
 LEOPOLDVS II.







in ex omnibus ferme Europae
 incipies aliique innumeri cu-
 lines confluerant. Quantes
 maiori laetitia, veneratione
 nam olim populus Romanus
 m ad capitolium curru vehe-
 Omnes desiderio flagrabant
 riae Patrem Optimum, Impe-
 tum videndi. Refertae erant
 ta adeo omnia, oppletae vn-
 s atque iuuenibus, Eum qui
 Eum qui admirari volebant,
 i, neglecto medentium im-
 conspectum quasi ad fanita-
 nam. Omnes, Illo viso, pu-
 s, seque habere plurima arbi-
 narratione nepotes olim suos

is non contingit esse tam feli-
 POLDE II. Imperator Roma-
 omine Coronate, praesentem
 admirari queamus: tamen
 prosequimur, colimus, atque
 s summae in Te pietatis signi-
 die auspiciatissimo, qui nomi-
 ceteris eminent, edere, nobis
 optatius, quo magis audire
 Germania, et hodie in primis
 D 3 Panno-

